

Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. §
quod semel placuit amplius displicere non debet p. 29. num. 4.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

L. 9.
M. 6 10



DISPUTATIO
De
REGALIBUS
sive
MAJESTATIS JU-
RIBUS

Quam
Auspicio Divinæ Majestatis

Authoritate & consensu

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi JCTORUM ordi-
nis, in celeberrima Academia Wittenbergensi ad
clavum sedente

Magnifico, Amplissimo, Excellentissimo, Consultissimo

V I R O

DN. GOTTFRIDO SVEVIO,

J.U.D. & P.P. longe celeberrimo, Curia Electora-
lis facultatis Juridicæ p.t. Decano spectabili, nec non Scabinatus Asses-
sore Gravissimo, Præceptore, ac Patrono suo studiis
omnibus æternum devenerando.

placida literatorum collationi ac Disquisitioni subjicit

DANIEL BORCKMANN,

Gedanensis.

In Auditorio JCTORUM ad diem Januarij.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M DC LII.

DISPUTATIO

REGALIBUS

MAJESTATIS JU-

RIBUS

Auspicio Divinae Majestatis

Auctoritate & consensu

Magnifici Nobilissimi & Amplissimi Sutorum ordi-

narii celeberrimi Academiae Wittenbergensis

Consistorii

Magnifici Nobilissimi & Amplissimi Sutorum ordi-

narii

DN. GOTTFRIDO SVEVIO

I. D. & P. R. Jone electissimo, Curiae Electora-

lis Saxonicae, Praeside, Decano, Rectori, nec non, Capitulari, A-

ss. Gravissimo, Praeceptorum ac Praeceptorum Sutorum

ordinarii, omnibusque Sutorum deventando.

quibus in praesentibus, et in futurum, Sutorum

DANIEL BORKMANN

Gedanken


in Auctoritate Sutorum ordinarii

WITTEBERGA

Typis Johannis Reicheni, Acad. Typogr.

ANNO MDCCLII





I. N. J.



E Regalibus, materia non
 nova quidem aut insolita;
 sed antiquissima, quæq; cum
 ipso Imperio & summa po-
 testate cæpit, summorumq;
 virorum ingenia exercuit hætenus, dum
 tractationem cursoriam vel recensio-
 nem potius instituere fert animus; Pietatem sa-
 cratissimi Imperatoris Justiniani imita-
 mur, & in nomine Domini nostri Jesu
 Christi ad hoc quoq; cõsiliũ & ad hũc actũ
 progredimur *l. 2. pr. C. d. offic. præfect. Præ-*
tor. Afric. certi in super, tunc demum be-
 nè universa geri & competenter si rei prin-
 cipium fiat decens & amabile DEO. *No-*
vell 6. pr. & ubi Christus non est funda-
 mentum; ibi nullius boni operis esse su-
 perædificium can. *cum Paulus. caus. 1. q. 1.*

A

THE-

THESIS. I.

Simplicitas & veritati & legibus amica §. 7. *Instit. de fe. deicommis. heredit.* Non ergo sollicitè originem vocabuli à Græcis & Latinis simul repetemus; quasi à Rege & *λίαν* Regalia dicta sint, id est valde Regia, quam allusionem Goclenii iudicio probatam refert *Gothofr. Antonii disp. feud. 3. th. 6. tit. 6.* Sed simpliciter à Rege appellata esse Regalia existimamus, id est Regia jura; ita ut Nomen Regis non in specie accipiamus, quatenus Imperatori opponitur; sed in genere del Imperatore: qui aliàs in jure feudali sub Regis nomenclatura venit. *Rosenthal in Synops. Juris feud. c. 5. concl. 1. n. 2. & in Not. tit. d. & de quovis alio Principe summo.*

II.

Huic enim tantum, qui cum summo Imperio est, neminemq; superiorem recognoscit, & nomen & exercitium Regalium eminenter competit, non aliis nisi ex concessione illius vel expressâ vel tacitâ; unde Regalia definiti communitè placuit, quod sint Jura soli Imperatori, cuive Imperatore ea expressè vel tacitè habenda dedit, in signum præminentia, ad Imperii dignitatem & utilitatem ejus conservandam pertinentia. Uti post alios definiunt. *Vult. l. de feudis c. 5. n. 7. Gothofr. Anto. d. disp. feud. 3. th. 6. tit. 3. Boer. in tr. de Regalibus c. 1. n. 6.* Dicuntur & Regia Jura, Basilica, Jura Majestatis, Sacra Regni, Sacra Sacrorum *Königsliche besondere Hoheit und Reservaten N. Abscheid/ de Anno. 1526. §. dadurch dann/* quanquam hæ appellaciones, potius illis Regalibus, quæ alias majora dicuntur (de quibus in seqq.) competant.

III.

Cum enim definitio Regalium finem & effectum duplicem intendat, quatenus Regia illa Jura, vel majestatem & eminentiam Principis supremam concernunt; ita ut Fisco ejus augmentum inde nullum accedat: vel commodum & utilitatem Fisci principaliter respiciunt, ita ut augusti
or inde

orinde Majestas Principis non admodum fiat; Ideo recte Jurispublici Doctores ipsis rerum momentis attendentes, alia majora dicere Regalia consueverunt, alia minora: Illa dignitatis Imperii esse, hæc utilitatis: Illa Personam Imperatoris respicere, siue specialiter ad ejus Excellentiam spectare; uti loquitur Imp. Fridericus, in *Constit. de pace Constantia: S. volumus ut Regalia; hæc Fiscum.*

IV.

Regalia majora de quibus dicturi sumus, dum exerceat Imperator; vel personis dignitatem & splendorem, majorem conciliat; vel res ipsas Imperii augustiores & magis ordinatas reddit: Utrumq; ex sequentibus apparebit: Nam ad prius illud membrum pertinet

V.

I. Jus creandi Reges, Electores, Duces, Principes quiq; dignitate Principali iisdem Pares sunt: Marchiones, Landgravios, nec non Comites, Barones; quos itidem non ratione dignitatis, sed tantum ratione Ordinis, quo illi in sessione & præcedentia his præferuntur, distingui, receptissima Germaniæ consuetudo probat, *Vid. Wurms. Exercit. 7. P. 2. b. ult.* Deniq; & jus Nobiles creandi. Exempla summæ hujus potestatis exercitiæ antiquiora pariter & recentiora tempora sistunt: Bohemis Regem è Ladislao Duce dedit Heinricus IV. Imperator Danis Fridericus I. Imperator è Petro Principe: Polonis Otto III. è Boleslao Acie Principe Regem dederunt. Electoratus Saxonie dignitas, primum ad Lotharium Supplinburgensium Comitem, post ad Ballenstadenfes & Alcanienses Comites, tandem ad Marchiones Misnie in persona Friderici Bellicosi Imperatorum Autoritate translata est: testibus rerum Saxonicarum scriptoribus Cranzio, Fabricio & aliis: de Brandenburgensis septemviratus dignitate, collata à Sigismundo Imperatore in personam Friderici Burggravii Norinbergensis, idem habet *Munster. in Cosmograph. lib. 3. c. 472.* Quot è Comitibus Duces vel Principes creati; quot è Nobilibus in Comitum &

A 2

Ba-



Baronum, quot ex inferiore statu in Nobilium evecti ordi-
nem fuerint; ex superioribus & nostri seculi annalibus re-
ferre prolixum foret & in re evidente frustraneum. Pate-
t hinc Imperatorem rectè dici Nobilissimum *in l. 3. ff. de Na-
tal. restit.* fontem omnis Nobilitatis & dignitatis, à quo o-
mnes aliæ promanant, & de fulgore throni Casarei, velut
ex sole radii ita procedunt, ut primæ lucis integritas me-
morati luminis non sentiat decrementa; *vid. Dn. Reink. de
Reg. S. & Eccl. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 64. Schonbor. lib. 5. Polit. c. 15. Dn.
Limn. lib. 2. J. P. c. 9 n. 17. & seqq.*

VI.

In tantum autem illa Nobilitas & eo cum effectu
procedit, ut ejusmodi novi homines, torneamentis sive
ludis hastalibus & Equestribus interesse possint, perinde ac
si quatuor avos nobiles numerare habeant, quod quidem
in Lege Ludorum Equestrium ab Henrico Aucuplatâ re-
quiritur. Unde in diplomate Nobilitatis collatæ addi ferme
solet hæc clausula *allermassen und gestalt als ob sie von Ih-
ren vier Ahnen Vater und Mutter geschlechten beyderseits rechte
Edelgeborne Lehns Turniersgenossen und Rittermestige Leute
gebohren wehren.* *vid. Dan. Otto de J. P. c. 11. pag. m. 335.*

VII.

Archiducibus Austriæ Jus Nobilitandi, imo & Co-
mites ac Barones creandi concessum est speciali privilegio
quod refert *Munster. in Cosmogr. lib. 3. c. 416. & Dn. Limn lib. 5.
J. P. c. 2.* cuius privilegii verba, cum expressè ad-
ditiones Archiducuales se referant ibi: *in allen ihren Lan-
den/ Herrschafften und gebieten/ Graffen/ Freyherren/ Rittern
Knechte auch Tügsam und verdiente Personen von neuen Edel-
machen patet inde errasse Petrum Fritze de Nobilit. con-
clus. 8 & alios, Archiducibus Austriæ non solum in Archi-
ducatu suo sed & in toto Imperio Jus illud nobilitandi
competere asserentes: quos rectè notat Dn. Limn de J. P. lib.
c. 1. n. 34.* Caterum cum Archiducibus Austriæ specialiter
indultum hoc sit, vix obtinere poterunt, *Vult. lib. 1. de feu-
disc. 8; Nolden de Nobilit. c. 2. n. 177. Statibus Imperii pro-*
miscuè

1637.
miscuè eandem potestatem adstruentes, vid. *Dn. Linnæi d. c. l. n. 36 & seqq.*

VIII.

II. Jus creandi Doctores Licentiatos & Magistros omnium Facultatum; Poetas Laureatos: Comites Palatinos, à Palatio sive Curia Imperatoris appellatos *Kaiserliche Hoffpfalzgraffen* quibus inter alia ab Imperatore data potestas est, honores illos & gradus, quos diximus, conferendi, Eosq; Doctores & Magistros Bullatos nuncupari, quasi vi & autoritate Bullæ vel Diplomatis Cæsarei creatos usus obtinuit: Hos iisdem privilegiis frui quibus in Academiis promoti gaudent: modo prævio examine præsentibus ad minimum tribus Doctoribus creati sint, affirmare non dubitamus; Idem enim Imperator & in Academia promotis per Cancellarium, & à Comite Palatino creatis per eundem insignia eadem confert. Jam dubitare an dignus sit quem elegerit Imperator non licet l. 3. C. de crimin. Sacrileg. vid. *Matth. Steph. de Jdiç. lib. 2. p. 1. c. 6 n. 9.*

IX.

III. Jus creandi Tabelliones sive Notarios publicos *öffentliche Schreiber* de quorum officio vid. ordinat Maximiliani I. Imperatoris de Ao. 1512. quos itidem Autoritate Imperatoria à Comitibus Palatinis creari tota die videmus. Nec diffitemur à Principibus & Statibus Imperii cæteris creari Notarios posse; quorum officium tamen in territorio constituentium tantum procedat. vid. *Besold. in Colleg. polit. class. 1. Disp. 3. n. 52.*

X.

IV. Jus Naturales & spurios legitimandi, sive ingenuitati & Natalibus restituendi, quod & Comitibus Palatinis competit, ita ut legitimati per Rescriptum sive ab ipso Imperatore sive Comite Palatino plene restituti, & ad honores, Jura Civitatis, officia, successiones, aliaq; capessenda idonei habeantur, perinde ac si ex legitimo matrimonio nati fuissent. *Matth. Steph. de Jdiç. lib. 2. p. 1. c. 6. memb. 1. n. 42.*

A 3;

XI.



XII.

V. Jus famæ restituendæ *l. ult. C. de sentent. pass. sive* notas maculosas vitiosæ opinioni abstergendi. Notatus enim iudicio, eleganter ait Symmachus lib. 10. Epist. 3. exploratissimum remedium veniæ Imperialis implorat, ut iudicati remissione famæ suæ vulnus excludat.

XII.

VI. Jus veniam ætatis concedendi, *Jahrgabung* ad effectum liberationis à curatela & habilitatem consequendam tum administrandi res suas tum contrahendi *l. 1. §. t. c. C. de his qui ven. et.* quam ab Imperatoribus olim impetrarunt Philippus Hassiæ Landgravius; Carolus Dux Lotharingiæ ad obtinendam investituram Episcopatus Metensis, Christianus IV. Daniæ Rex, Philippus Julius Pomeraniæ Dux, Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ, Ulricus Dux Wurtembergicus & alii, *vid. Thom. Mich. d. Jdict. tb. 32.* Quod Jus ex Novella Leonis c. 28. etiam inferiores Magistratus habent. Hodie in Imperio nostro non Imperator solum, sed & Principes & Status Imperii veniam ætatis concedunt *Fomann. ad l. 1. C. de his qui ven. et. Dn. Limn. lib. 2. f. P. c. 9.* circa finem, ubi & formulam concessæ veniæ ex Theodorici Gothorum Regis Constitutione refert. Comites Palatini vero potestatem hanc non aliter habent nisi Instrumento Comitivæ specialiter id insertum fuerit; quod quibusdam peculiari beneficio indulgeri accepimus, geben auch obbehalten N. N. unsere vollkommene Macht und gewalt mit den Minderjährigen unvogelbaren Ihres unvollkommenen Alters und mangel haben zu dispensiren. Camera quoq; Imperiali facultas ista concedendi veniæ ætatis denegatur: Cū jus hoc non ad administrationem Justitiæ, aut Jurisdictionem ordinariæ sed ad Reservata Imperatoris pertineat in quæ immittere se Camera haud solet. *Thom. Mich. de Jurisdic. tb. 32.*

XIII.

VII. Jus indulgendi abolendi & remittendi pœnas capitales, quod jus vitæ & necis, & à gratia pœnæ facta jus aggratiationi dicitur. De capite civis, nisi per maximum comitatum

ne

ne ferunt, lege 12. Tabul: cautum erat. Rectè itaq; & hodie jus vitæ & necis penes Principem est, imò & penes Principes & Status Imperii in suo territorio, excluso hic Magistratum Inferiorum arbitrio: de quo in ordinat. Provincial. Saxon. de Ao. 1555. specialiter cautum est, das nemlich sachen dadurch das leben verwircket ohne unser bewilligung nicht bürglich gemacht werden sollen. Ita tamen in eo se tractabunt Principes, ne quid contra legem divinam & naturalem indulgeant neq; ad remissionem illius panæ descendant, quæ ad auctoritatem Decalogi tuendam, & ab ipso DEo sancita est vid. *Petr. Heig. part. 2: q. 22.*

XIV.

VIII. Deniq; referri huc potest jus illud absolvendi à juramento ad effectum agendi das einem seine gegebene verpbedt gegen dem Herren der Jhn also verpbedet hat/ relaxiret werde/ damit er sich gegen selben rechtens gebrauchen möge/ quod jus quanquam ad forum Ecclesiasticum trahere conentur Canonistæ, non dubium tamen est, eam potestatem ad secularem quoq; judicem pertinere, per ea quæ tradit *Gail. lib. 1. observ. 25.* Unde & Camera Imperiali potestas illa absolvendi à Juramento ad effectum agendi expressè indulta est vid. *Ordinat. Cam. p. 2 t. 24.* ubi & modus præscribitur quando ad absolutionem hanc deveniri possit. Cæteris Imperii Statibus æq; hoc jus absolvendi competit cum jura Episcopalia in Ditionibus suis exerceant vigore pacificationis religiosæ: Idemq; Jus, relaxandi juramentum ut præcipuum scil. sibi reservavit Augustus Elector Saxonie part. 2. Constit. 36.

XV.

Ad res Imperii ordinandas & augendas quoad Justitiam, judicia, securitatem publicam, commercia &c. præcipuè pertinent sequentia. I. Jus leges universales condendi, quod non est, nisi Imperatoris aut ejus qui in suo territorio superiorem non recognoscit: cui juri summo quantum ad Imperatorem Romanum, hoc temperamentum accessit, ut condere leges universales non possit, nisi adhibi-



to Electorum & statuum consensu & authoritate. Neq; n. Electorum consensus sufficit ut volunt quidam, sed & statuum ut accedant suffragia, necesse est; quod ex clausulis illis Recessuum frequentissimis liquet, mit Rath unser und des Heyligen Reichs Churfürsten und anderer Stände Herum. Darauf wir uns mit des Heyligen Reichsständen und sie mit uns nachfolgender articul als ein Christlich corpus gegen und mit einander vereiniget verpflichtet und vertragen/ quo ipso, per authoritatem Curiarum absorberi Majestatem Principis existimandum non est, cum potius ipse Princeps & Imperator Romanus dissentientibus statibus ex plenitudine potestatis decernat: imo & status Imperii suo consensu & consilio ab Imperatore sancitū esse fateantur: Wir Churfürsten Fürsten etc. thun kund das die obgeschriebene puncten und articul des Heyligen Reichs Ordnung hülff und anders betreffende mit unserm Rath gutem wissen und willen durch Römische Käyserliche Majestet unserm aller Gnädigsten Herren geordnet gesetzt und aufgerichtet seynd/ gereden und versprechen solches alles steth fest und uns erbrüchlich zuhalten auch allem nach unserm vermögen nach zu kommen und zu leben R. Absch. de Anno 1512.

XVI.

II. Jus constituendi judicia summa, qualia, *primo* judicium Imperii aulicum Käyserliche Reichs Hoffrath/ quod non Imperatoris proprium, sed Imperii judicium est; Ejusq; visitatio ad ArchiEpiscopum Moguntinum, ut Cancellarium Imperii pertinet, vid. capitul. Imper. §. gemeldten unsern Hoffrath Thom. Mich. d. Jdiēt. 1b 28. cui & reservata est in pacif Osnabrug. in qua & illud placuit Imperatori quosdam Augustanæ Confessioni addictos consiliarios in illud assumere. *Secundo*. Judicium Spirense à Maximiliano I. adhibito statuum consensu institutum Wormatia primū, deinde Spiram translatum, de cujus translatione novissimè quoq; deliberatum in d. Pacificationis tractatu, dilato tamen ad Comitata proxima negotio; Hoc itidem Imperatoris & Imperii commune judicium est, das Käyserliche und des Heyligen Reichs Kammergericht; cujus Jurisdictio ordinaria est

est, non delegata, *Gail. lib. 1. Obser. 41. n. 5.* nec morte Imperatoris exspirat, sed una cum Imperio, quod non moritur, durat; concurrentem præterea cum Imperatore Iudicium habet; ad inducendum effectum præventionis, etiam in causis fractæ pacis publicæ; *Ordin. Cam. p. 2. tit. 9.* In Criminalibus causis aliis Camera se non intromittit, nisi de Personarum Cameralium delictis agatur, ut nec in Spiritualibus & matrimonialibus vid. *Dan. Ott. d. c. 11. p. m. 350.* Denique à sententiâ in Camerali iudicio lata nulla datur appellatio; (est enim & vocatur d. oberste und letzte gericht davon niche appelliret werden soll *Reichs Abscheid de Ao. 1550 §. Diweil nun*) ne quidem ad Imperatorem, qui nec evocare causas potest. *Ord. Cam. p. 2. c. 35.* daß dem Cammergericht sein strackter lauff gelassen werden soll) multoq; minus ad Pontificem, unde ei, qui ad ipsum appellaverat, multam 100. marcarum auri puri, cum refectione expensarum dictatam fuisse refert *Thom. Mich. de Iudic. lib. 34.*

XVII.

Fuit & olim Rottwilense iudicium das *Kaiserliche Hoffgericht zu Rottweil* à solo *Conrado IV.* quondam institutum; quod non universale est, ut *Aulicum & Camerale*; sed ad circulum *Francicum, Suevicum, Austriacum & Rhenanum*, limitatum; & ab eo appellatur ad *Cameram Reichs Abschied de Anno 1520. §. und nach dem uns vorkommen. Dn. Reink. D. R. S. & Eccl. lib. 2. class. 2. c. 14. n. 53.* In novissima pacistractatione abrogatum voluerunt hoc iudicium, status Evangelici & aliud constitui, *Halberstadii aut Goslarie in der Endlichen gegen erklarung Ao. 1647.* Decisio tamen in instrumento Pacis ad *Comitia proxima rejecta est.*

XVIII.

III. Proximum huic est *Jus ultimæ provocationis*, uti n. omnis *Jurisdictio à Principe profluit per concessiones & Investituras*, ita ad eundem refluit per *appellationes, nullitates, & querelas* ut ultra eum tanquam supremum ad aliū, appellari non possit *l. 11. §. 1. ff. à quibus appellari nõ licet.* Et iã diu explosum est illud *Canonistarum. Vacante Imperio*

B ad



ad Papam appellandum esse in *e. licet X. de for. Comp. Conf. Clapmar. de Arcan. Rerump. lib. 1. c. 19.* A Cæsare autem malè informato ad melius informandum provocari posse: non quidem in vim appellationis, sed regressus & supplicationis: & causæ incidentes justæ sunt, et Exempla multa, relata à *Dan. Ott. de J. P. c. 11 p. m. 361.* Idem Privilegium de non provocando etiam Electoribus datum est in *A. B. tit. 11.* tam Ecclesiasticis quam secularibus. Et quanquam illi certis in causis appellari à se permiserint, si scil. summa exesse- rit 500. Rhenanos, vid. *Dn. Limn. De J. P. lib. 3. c. 4. §. 6.* quod & Electores Palatini fieri passi sunt, si scil. summa excedat quantitatem 1000. florenorum aureorum: quousq; Ferdinandus Imperator privilegium illud extendit Ao. Chr. 1578. quod refert *Dn. Limn. d. lib. 3. c. 9. n. 87.* Saxoni. & Brandenburgicus Electores constanter retinuerunt, ne à sententiis ipsorum provocetur aut ad Cameram aut ad iudicium aulicum Cæsareum; Neq; n. accedimus *D. Heigio. lib. 1. q. 4. & aliis*, qui Brandenburgicum amisisse privilegium istud & à Rudolpho II. denuò impetrasse contendunt, siquidem confirmatum saltem ac renovatum id fuisse, non de novo concessū, ex verbis privilegii quod refert *Dn. Carpz. d. L. R. c. 9. f. 8. baud obscure liquet.* Idemq; privilegium de nō appellando non tantum ipsis Electoribus secularibus verum etiam aliis Electoralium familiarum Principibus competere ex generalitate *A. B. tit. 11.* probatur & imprimis ex privilegio Sigismundi de Ao. 1423. Maximiliani I. d. Ao. 1497. Ferdinandi I. d. Ao. 1555. Electori Saxonico, & Rudolphi II. d. Ao. 1586. Brandenburgico dato & Renovato. vid. *Dn. Carpz. d. c. 9. sect. 7.* Austriacæ quoq; Archiducali familiae ut alia multa, ita & hoc privilegium de non provocando indultum est, *Schifer. d. Orig. & Potest. Elect. conclus. 74.* quod & nuper, obtinuit Sueciæ Regina in pace Osnabrug. respectu Ditionum illarum quas, in feudum ab Imperio recognoscit. Cæterum privilegium illud de non provocando etiam ad casum nullitatis extendimus: non licere à sententiis Principū, quibus privilegium hoc competit, per modum
suppli-

Supplicationis de nullitate conqueri, in aula Caesaris vel Camera Imperiali, quo pertinent expressa verba privilegii Ferdinandi. d. Ao. 1559. Saxoniae Electoribus renovati: ibi Nichte appelliret, niche suppliciret, noch reduciret werden soll noch möge in keinerley weyse: adde verba privilegii, Electoribus Trevirensi, & Coloniensi concessi apud *Dn. Limn. lib. 3. f. p. c. 5. & 6.* solus casus denegatae justitiae exceptus est in *A. B. tit. 11.* qui privilegium illud de non appellando excludit.

XIX.

IV. Jus Investendi de feudis Regalibus *Sahnlehn* und *Scepterlehn* illa quae Principibus Vasallis secularibus per traditionem vexilli, *A. B. l. 5.* hodie per gladium, haec, quae Ecclesiasticis conceduntur per insigne sceptri, vid. *Sand R. lib. 7. art. 60.* quod jus Imperator olim adeo proprium habuit ac praecipuum ut feuda illa Imperio aperta solus absque consensu Electorum & Statuum reinfeudare, vel alteri in feudum concedere poterit, ita n. Rudolphus primus deficiente Austriaca stirpe, filio Alberto, Austriam in feudum concessit: & Sigismundus Imperator extincta Ursorum familia; Electoratum Saxoniae ad Fridericum Marchionem Misniae transtulit, & Woldemaro Brandenburgensi Electore defuncto Ludovicus Bavarus, filium Ludovicum de Marchia infeudavit, quam postea Sigismundus Imperator Friderico Burggravio Norimbergensi in feudum dedit. vid. *post, Peucer. lib. V. Chron. Anton. Coler. d. jure Imper. Rom. tb. 23.* Hodie vero ex Capitulatione Caesarea restrictam novimus hanc Imperatoris potestatem, ita ut feuda Imperio aperta alteri in feudum concedere non possit, quin potius, ad usum Imperii conferenda illa sunt, *die, sollen und wollen wir niemand verlehben sondern zu unterhaltung des Reichs/unsrer und unserer nachkommen der Könige oder Käyser behalten einziehen und incorporiren etc.* quam dispositionem licet Bocer. in *tr. d. Regal. c. 2. n. 6.* tantum de bonis vacantibus, non item de feudis Imperio apertis acceptam velit, secutus forte Sleidani Authoritatem in verbis, *Imperii bona, quae forte vacant, nemini conferat* *Sc. lib. 1. d. Stat. Relig. p. m. 29.* attamen.

ex ipsis verbis capitulationis confutatur was auch vom Lehn dem Reich und uns bey zeit unserer regierung eröffnet und heim fallen wird etc. nolumus tn. restrictam hanc infeudandi potestatem etiam ad ffeuda. Electoratum vacantia extēdi: sed ea Imperator omnino conferet aliis A. B. tit. 7. quod probant exempla superius adducta &c. & illud maxime insigne: Electoratus Sax. Mauritio Duci concessi in castris ad Wittebergam à Carolo V. Ao. 1547. de quo postea in Comitibus Augustanis Ao. 1548. solenniter investitus est: Interest n. ne lumen Imperii fiat obscurum aut 6. pro 7. Candelabris luceant, neq; de his Electoralibus feudis accipienda est Capitulatio, cum de Ducatibus tantum aliisq; similibus Regalibus loquatur. *Conf. Cass. Guttib. de Confraternit. tb. 6.*

XX.

V. Jus cognoscendi de feudis hisce Regalibus. Idem Imperatori, cui in universum administratio iustitiæ competit haud denegandum, imo adeo ipsi proprium est, ut sibi Regi; Romano, tanquam præcipuum reservari Reichs Abscheid sub tit. Römischer Königlich Majestet Regiment/ d. Ao. 1521. §. ob auch sachen für stelen. *Ordin. Cam. p. 2. tit. 7.* quod quidem eò pertinet: ut sciamus, nec Camera Imperialem; de feudis Regalibus cognoscendi potestatem habere; quamvis alias in feudis minoribus cum Imperatore in Jurisdictione concurrat *Gail. l. obser. 29. Vult. 2. de feud. c. 2. n. 9.* Multoq; magis Pontificem Romanum: uti à Vicariatu Imperii; ad officio Judicis, in causis Imperatorum, quæ & alia sibi impudentissime arrogat, ita & à cognitione super causis hisce feudalibus prohibemus, Nec Austregarum Judices hic admittimus, quorum Idictio, licet generaliter data esse videatur ibi, warumb oder auß was ursachen das were. *Ordin. Cam. p. 2. tit. 4. ad causas tn. has feudales, utpote speciali Judici reservatas, extendi non debet. vid. Rosentb. de feud. c. 12. concl. 1. n. 27.*

XXI.

De Vicariis Imperii, quales sunt in circulo Rhenano, Francico & Svevico Palatinus, in locis, in quibus jura Saxonica observantur, Saxo, Electores: Idem asserunt multi vid. Arum.

Arum. Discurs. 3. ad A. B. conclus. 40. cognitionem hanc de feudis majoribus, ad eos non pertinere. moti illis ipsis textibus in allegat. Recessu *Imp. de Anno 1521. & Ordin. Cam. p. 3. tit. 7.* Verum n. vero. Recessus ille de peculiari Vicario, quē Carolus V. tum constituerat. *s. und anfänglich.* d. loc. loquitur, non de Vicariis Imperii, Illi Jus hoc cognoscendi adimi potuit, non enim habuit ante, his non item: horum enim potestatem se non turbaturam jurat Imperator in Capitulatione *s. wir selber wollen auch die Churfürsten bey dem Vicariat &c. Camerae autem ordinationem d. t. 7.* ad excludendam ipsius Camerae cognitionem tantum pertinere, nemo non videt, cur itaq; Vicariis Imperii de feudis majoribus cognoscendi potestatem denegemus, quibus exercere judicia die *Gewald Gerichte außzurichten und zu üben/ generaliter concessum est in A. B. t. 5.* Dicis; cognitionem hanc exceptam esse eod. tit. Respondemus, exceptio debet esse de regula: Regula de potestate investiendi de feudis concepta est, huic exceptio subjungitur ibi *aufgenommen der Fürsten Fahnlehn/ dann derselben Lehn verleichniß behalten wie einem Rånser und Römischen Könige/ vides,* de Investitura loqui Carolum IV. non de cognitione, adeoq; quoad hanc regulæ nihil quicquam decedere, porro à negata facultate investiendi, ad negandam facultatem cognoscendi argumentum duci non posse ostendit *Dn. Limn. de J. P. c. 12. n. 60. & seqq.*

XXII.

Cæterum Imperator dum cognoscit de feudis Regalibus, solus id facit absq; interventu Parium Curia, de quibus adhibendis nihil omnino cautum in *Ordin. Cam. d. p. 2. t. 7.* Novimus quidem sæpius adscitos in hanc cognitionem fuisse Principes, ea occasione, quia Imperatoris aulam honoris ergo s. quebantur: quos propterea indulgentius habebant. Necessitatis autem fieri non debuit, quod humanitatis & arbitrii fuit, ideo superioribus annis in causa Landgraviorum Hasia, successionis Marpurgensis invictissimus Ferdinandus secundus solus cognovit & Definitive pro-

B 3 nua-



nunciavit Dn. Reink. D. R. S. G. Eccl. lib. 1. cl. 4. c. 14. Dn. Wurms.
Exercit. 7. P. 7. th. 19.

XXIII.

In genere quoq; cognitionem soli Imperatori adstruimus, sive de possessione feudi Regalis contentio sit, sive de proprietate: id est, ut loquimur, tam in possessorio, quam in petitorio, nec non, sive de parte feudi regalis litigent Vasalli, sive de toto. Et frustra quosdam in contrariam sententiam deduxit illa locutio in *Ord. Cam. d. t. 7.* so einem theil gänglich und endlich abgesprochen werden solle/ unde nec partis, nec possessionis feudi cognitionem Imperatori dandam esse opinati sunt. quo certe nihil infirmius. nam vocula gänglich/ nullum ad quantitatem rei controversæ respectum habet, sed saltem ad qualitatem sententiæ, ita ut idem significet, quod vox, omnino, adde *argument. l. que de tota 76. ff. de R. V. Wurms. d. Exer. 7. th. 20.* Vocula endlich Definitivam sententiam notat. quæ non tantum in petitorio fertur, sed & in possessorio: latâ enim in hoc judicio sententiâ, quis neget, litem super possessorio finiri, adde *arg. l. nulli 10 C. De. judic.* id vero Vasallis majoribus privilegii loco indultum, ne cognitio feudalis extra Imperium trahatur ab Imperatore *Ord. Cam. d. p. 2. tit. 7. Thom. Mich. d. Jdict. th. 28.*

XXIV.

VI. Jus Indicendorum habendorumq; comitorum: convocandi populum & senatum cogendi potestatem, sibi reservavit Romulus, neq; populo concedere voluit, eoq; jure nihil sanctius atq; antiquius est *vid. Clapm. de Arcan. Rerum p. lib. 1. c. 14.* Et quidem Veteres Imperatorum propria Authoritate indixerunt comitia, unde verba illa *Recessu, haben Ihnen her zu uns zu kommen/ geboten und geheissen/ ic. zu uns erfodert* *vid. Reformat, Frid. III. d. Ao. 1442. Ordinat. Maximiliani I. d. Ao. 1512. usq; ad Carolum V. in cujus persona restrictâ est illa potestas, & cautum in ejus Capitulatione, ut & subsequentiâ Imperatorum, ne indicant Comiticia absq; Electorum consensu s. dergleichen Sie die Churfürsten etc. ibi ohne wissen und willen der 6. Churfürsten etc.* Caterum de personis ad Imperii comitia vocandis, de negotiis

gotiis & rebus inibi tractandis, de ordine & modo sedendi, proponendi, tractandi, deliberandi, vota ferendi, concludendi, promulgandi, deniq; dissolvendi Comiticia & aliis, hujus loci tractatio non est. vid. *Arum. in tract. pecul. de Comiticiis. Bernb. Bertram. eod. tr.*

XXV.

VII. Jus belli indicendi: quod ante L. Regiam penes populum Romanum fuit, post illam ad Principem translatum l. 3. ff. ad L. jul. Majestat. idemq; jus Imperatori competit, non tamen soli, sed adhibito statuum consensu ob verba capitulation. S. wir sollen und wollen uns etc. kein gezänckel / Gehde noch Krieg in oder außerhalb des Reichs / von desselben wegen anfahren oder vornehmen / ohne vorwissen Rahe und bewilligung der Reichsstände / zum wenigsten der Sechs Churfürsten: Nec statibus jus belligerandi permissum, & si arma suscipiant; Avocatoria adversus eos decernit Aula Cæsaris vel Camera Imperialis sub pena Banni & per Fecialem, Heroldt / ducibus & militibus insinuat *Ord. Cam. p. 2. tit. 9. S. und ob sich Gail. l. d. 7. P. c. 4. v. 1. subitaneo autem incidente periculo & cum Imperatoris copia haberi nequit, pro defensione arma capere possunt, ut tamen Imperatori, id quæ primum significant Reichs Abscheid d. Ao. 1555. S. und sollen in oberzehsten.*

XXVI.

VIII. Jus pacem ineundi, perinde ut belli indicendi ad Principem spectat unde Plato 2. de 22. cautum refert, si quis pacem vel bellum fecerit privatim, sine publico scito; capitale esto, Et sponsione, quæ injussu populi Romani facta est, non teneri populum Romanum Posthumius olim respondit; vid. *Arnold. Clapmar. d. Arcan. Rerump. lib. 1. c. 20.*

XXVII.

VIII. Affine huic est, *fœdera ineundi Jus*, quod & olim Legis Regiæ primarium caput fuit, *fedus ve, cum quibus volet, facere liceat, ita uti licuit Divo Aug. Tib. Julio Cæsari Aug. Tiberioq; Claudio Cæsari Aug. Germanico, Justus Eccard. in explicat. L. Reg.* Hodie nec id Imperatori integrum est, nisi Electorū vel partis majoris saltem consensum impetraverit & quidē
in



in conventu collegiali Capit. Cæsar. Car. V. § 7. wir sollen
und wollen dazu für uns ibi wir haben denn zuvor die 6. Chur-
fürsten deshalb an gelegene mahl stätte zu ziemlicher zeit erfor-
dert/ und Ihren willen sämblich oder des Mehrentheils auß
Ihnen erlanget; unde nec peculiarem Electorum declarati-
onem transmitti sufficit: de quo expresse in Capitulatione
Ferdinandi III. invictissimi Imperatoris nostri provisum
ibi und zwar auf einer Collegial zusammenkunft/ und nicht
durch absonderliche erklærungen (es were dan das publica salus
und utilitas eine mehrere schleunigung erforderte.) Cumq; mo-
dus iste in pacificatione Pragensi non perinde observatus
esse videretur, cautum de eo in eadem Capitulatione repe-
ritur das derselbe modus inskünffrig zu keinen præjudiz od-
der consequenz angezogen/ noch außgedeutet werden solle.

XXVIII.

Nec Principes & status Imperii fædus inire, tum inter
se, tum & cum exteris prohibentur, etiam absq; Imperato-
ris consensu, modo licitum sit fædus, tuenda pacis publicæ
causa susceptum, inq; eo Imperatoris persona excipiatur,
quorum fœderum exempla in Imperio Romano passim ob-
via vid. Dan. Otto. de J. P. c. II p. m. 393. Quam potestatem, nec
non illa, quæ de bello decernendo, & fœderibus dicta sunt
confirmata novimus in *Pacificat. novissima Osnabrug. c. 8.*

XXIX.

Cætera quæ ad materiam fæderum pertinent, qui pan-
gant, cum quibus, & quibus ex causis, de servandis iis, &
dissolvendis, de variis confæderationum speciebus & exem-
plis, in præsentiarum non exsequimur. Id unicum, quin ad-
damus, non possumus, quod & superiore & nostro seculo
agitatum vehementer novimus, licitum esse Principibus &
statibus Imperii in causa Religionis fædus inire, sicut nec
bellum improbandum est pro defendenda religione susce-
ptum: Unde quid pro Justitia fæderis illius Smalcaldici, à
Protestantibus Ao. 1530. initi afferri possit; facile profluit,
cum non ad turbationem status Imperij nec adversus Im-
peratorem, quæ talem, (de quo & ipsi Status protestati sunt,)
sed tantum ad conservationem veritatis Christianæ, & pa-
cis

1679.
eis in sacro Imperio & propulsationem injustæ violentiæ
Ictum fuerit quæ omnia virulentis Francisci Burgkardi, Lau-
rentii Surii & aliorum criminationibus rectè opponuntur.
vid. Anton. Col. de Jur. Imp. Germ. lib. 74. & seqq.

XXX.

IX. Jus vectigalia indicendi, omnino enim ad Prin-
cipem supremum, cui Respub. ejusq; nervus, qui est in ve-
ctigalibus & tributis curæ esse debet, hoc jus pertinet *add.*
t. t. C. vectig. nova instit. non poss. Interq; Majestatis Jura re-
cte refertur: Reichs Abscheid d. Anno 1576. § dardurch/ ibi, zu
Ihrer Käyßl. M. hobelt und reservation. Idq; jus pro arbitrio
olim Imperatores Germanos exercuisse, tum in constitu-
endis de novo, tum in augendis vectigalibus non ambigi-
tur; cum nec Electorum potestatem id excefferit ut probat
Goldast. in Bohem. lib. 4. c. 2. n. 9. Hodiè tamen in Capitulatio-
ne Cæsarea potestas hæc certis circumscripta cancellis est,
nec Imperator circa nova vectigalia indicenda, vel augen-
da vetera quicquam potest. absq; consensu sex Electorum
S. 18. Wir sollen und wollen auch insonderheit/ idq; ex justa satis
ratione, quæ ibidem additur. Stemeil deutsche Nation und
das H. Römische Reich zu Wasser und Land zum höchsten zuvor
damit beschweret; Et quam periculosi plane eventus res sic,
nimiis vectigalibus onerare. populum, historiæ passim lo-
quuntur. Unde & in aliis Regnis, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ
caute provisum est, ne Reges, qui aliàs non adeo adstrictam
potestatem jactitant; absq; Ordinum consensu ullum ge-
nus vectigalis vel tributum imponant. vid. Bodin. de Reg. lib. 6.
c. 2. Quomodo autem vectigalia, nec nimia, nec turpia,
aut insolita esse debeant, quibus rebus imponenda, quæ
defraudati vectigalis pæna sit, de his & aliis Politici partim,
partim & ICTI tractant. vid. tot. t. ff. d. publican. & vectigal.
& Cod. de vectigal. & commiss.

C

XXXI.



XXXI.

Pertinet huc Jus indicendi Collectas, quod absq; Electorum consensu exercere, non permissum est Imperatori, per *Capitulat: Caesar, §. 12.* Dergleichen sie die Churfürsten. licet alias ad supremum Principem spectet, Extraordinariam collationem indicere ad felicissimam Regalis Numinis expeditionem. *c. un. qua sint Regalia 2. §. 6.* Non autē ad impositionē collectarum & contributionū accedendū est, nisi ex iusta urgentis vel necessitatis vel utilitatis publicæ causa; de qua in Comitibus Imperii, quondam deliberatum & conclusum fuit: quorum summa multis retro annis ferē non alia fuit, nisi pecunia, uti Jovius argutē dixit, referente *Clapmar, de Arcan. Rerump. lib. 6. c. 13.* De modis contribuendi sive imponendæ contributionis, tum per denarium communem, nach dem gemeinen pfennig; vid. *Reichs Absch. D. Anno; 1495. 1500. 1521. 1542. §.* und wie wol derhalben auch zuvor/ tum secundum expeditionem Romanam, nach dem Römerzuge/ qui modus postea placuit statibus Imperii vid. *R. Absch. de Ao. 1603. §.* nichts desto weniger aber/ Imperate Rudolpho II. Designationem contributionis, Stataum singulis imponendæ, secundum hunc modum, Anschlag des Reichs/ nach dem Anschlage des Römerzugs; ejusq; moderationem vid *ap. Dn. Limn. d. J. P. lib. 4. c. 2. in fin. adde Dn. Carpz. de L. R. c. 8. sect. 5. §. 6.*

XXXII.

X. Jus cudendæ monetæ, quod sibi proprium semper existimarunt Reges & Principes, tanquam Majestatis insigne, unde & apud Romanos de monetis cudendis lege publica sancitum, ut fiat in certo loco, Aede Junonis monetæ talis, signo, autoritate publica imponendo. Nec Carolus M. alibi, quam in ipso palatio monetæ cudi voluit. *Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 7. n. 18.* Nec Angliæ Reges alibi insigniri monetam passos, quam in turri Londinensi refert *Arnif. d. Jur. Ma-*

Majest. lib. 2. c. 7. n. 10. Scilicet ne fraus fiat rei nummaria, inter est maxime, ut solliciti de eo sint Principes. Hinc & in Imperio Romano, tot extant Constitutiones & Ordinationes monetariae Imprimis illa Ferdinandi I. de Anno 1559. adde Recess. Imper. de Anno 1566, 1570. proclamata monetaria de anno 1571. Est & Electoribus primum in *A.B. tit. 10.* post & aliis Principibus & Statibus Imperii, Jus hoc monetæ cudendæ concessum. *Reichs Absch. d. anno. 1524 §. dergleichen* qui tamen Ordinationi monetariae in Imperio receptæ & promulgatæ conformare se debent, memores præterea illius, quod Principum quidam Germaniæ dicere solitus est: *Ex tribus maximè bonum Principem agnosci, an guten wegen/an guter münze/ und an haltung der zusage.* Quod si alii præter eos quibus data est ab Imperatore monetandi potestas (quod hodie absq; Electorum consensu fieri nequit Capital. Cæsarea novissima Ferdinandi III. §. *Wir sollen und wollen auch hinführo*) monetas cudere instituant, Læsæ Majestatis crimini se implicant & si nummos falsæ fusione formaverint, flammarum exustionibus immanipandi sunt *l. 1. §. 2. C. de fals. mon. adde Ordin. Crim. Carol. V. artic. Math. Coler. Decis. 179. n. 12 §. seq. P. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 8. th. 6.*

XXXIII.

XI. Jus Civitatis concedendæ, quod dicitur aliàs, Spiritum & vitam dare Civitatibus *Stadtrecht geben.* Idq; ad se sibi transcripserunt Imperatores, ut nec alteri id permittere voluerint: sicut ad Albertum, Comitem Mansfeldicum Maximilianus I. Imperator Anno Christi 1514. rescripsit, *Wann nun dir/ noch jemand anders nicht geziemet/ Stadtrecht oder anders/ das der hohen Obrigkeit anhanget/ ohne besonder erlaubniß aufzurichten etc. vid. Cluten. in Syllog. rer. quotid. th. 22. Anton. Coler. de Jure Imper. Germ. th. 25. Thom. Mich. de Jdiēt. th. 12* Subjungimus huic Jus publicos mercatus constituendi. Hos olim à Principe & Senatu peti solitos proba-



tur ex *l. i. ff. de Nundin. l. un. C. eod.* Et Claudium Imperatorem, jus Nundinarum in sua prædia à senaru petiisse Svetonius refert in ejus vita. vid. *Briffon. Selectar. ex Jure civ. antiquitat. lib. 1. c. 15.* Non tamen adeo facilis erit Princeps in concedendis Nundinarum privilegiis, nisi vicinas civitates, quarum interesse possit, prius audiuerit. *Gail. lib. 2. Obser. 69. n. 52.* Cæterum Nundinarum publicarum speciale privilegium hoc est, ne quis pro debito alibi contracto, detineri in iis possit. *l. un. C. de Nundin. Bruning. de Var. universit. Spec. lib. 56.*

XXXIV.

XII. Jus concedendæ plenæ securitatis & salvi conductus, quem salvo guardiam extero vocabulo nominant, de quo cum & alii, & præcipuè *Bechtius in tractatu de securitate & salvo conductu*, prolixè tradiderint, plura hic addere super sedemus. Alia ratio est salvi conductus illius qui in judiciis frequentatur, & à quovis Magistratu, qui merum Imperium habet, concedi potest. vid. *Prosp. Farinat. in praxi criminal. lib. 1. tit. 4. q. 29. n. 103.* & *Criminalistas alios. adde Zannger. in Tr. de Exceptionibus p. 2. c. 4. n. 9. & seqq.*

XXXV.

XIII. Jus instituendi & confirmandi cursus publicos; quos postas vulgari vocabulo appellamus; vid. *l. i. C. de cursu publ. lib. 12.* quas gloriosissimus Imperator Matthias adeo sibi adseruit, ut in informatione Bohemicâ aperte asseveraverit, das die Kaysertliche Postpost. Ihrer Majestet und des H. Römischen Reichs hohes Regal sey. Earumq; Imperatoriarum postarum respectu, cæterorum Principum per ditiones suas instituti cursus sive cursores pro privatis habentur vid. *Dn. Reink. D. R. S. & Eccles. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 115.*

XXXVI.

XXXVI.

XIV. Academias Inſtituendi Jus dememiniffe non decebat; materiam nobis maximè propinquam, in quibus hæc ipſa differendo tractamus. Has autem à ſolo Imperatore & iis qui ſuperiorè non recognoſcunt; erigi & confirmari nemo eſt qui ambigat. Et quanquam in vetuſtis Academiarum foundationibus Pontificis quoq; confirmatio plerumq; acceſſerit, quod & huic noſtræ contigit, accedente Julii II. Pontificis Authoritate. Anno Chriſt. 1502. quæ hoc ipſo tempore, per Dei gratiam ſupra centefimum jam quinquageſimum annum agit; Non dubitandum autem eſt, quin à ſolo Imperatore confirmari poſſint Academiae, cum & in Ordinat. Cam. ſolius Imperatoris, nulla Pontificis mentio fiat. *p. 1. tit. 3. ibi in Univerſiteten welche zum wenigſten von unſern vorſahren Römischen Känſern und Königen/der jetzigen Käyſerlichen Mæt oder uns confirmiret. Catalogum Academiarum recenſet Dan Otto. D. J. P. cap. 24 p. m. 694.* Id etiam prætereundū non eſt Sereniſſimæ Sveciæ Regiæ & Coronæ Jus Academiam erigendi conceſſum eſſe nuper in pacificat. Oſnabr. c. 10.

XXXVII.

XV. Deniq; quod vel primo loco referri debebat, hoc in ordine merito cenſetur, Jus Majeſtatis Eccleſiaſticum, ſive Sacratum. Ad Principem enim pertinet cura vel poteſtas Religionis & Eccleſiæ, non quidem interna illa, quam Eccleſiæ miniſtri exercent docendo, abſolvendo, ligando, Sacramenta adminiſtrando &c. Sed externa, quæ extra templum circa res & perſonas civiliter exercetur, Et poteſtas *νομοδουλν* dicitur, Hæc inquam Principi, non ex privilegio Papæ, ſed jure ſuo Regio competit, tanquam utriusque tabulæ cuſtodi & Præſidi; cujus reſpectu

€ 3 Con.



Constantinus Imperator ad Episcopos rectè scripsit. Vos estis Episcopi in Ecclesia, Ego extra Ecclesiam sive templū Episcopus sum à DEO constitutus, ut habet *Euseb. l. 4. c. 24.* Hinc tot Imperatorum Constitutiones, de rebus divinis, de locis sacris, de diebus festis, de ceremoniis &c. de quibus videantur tituli *Cod. de summā Trinit: d. S. S. Ecclesiis, d. Episcop. & Clericis, de statutis & imaginibus, de feriis &c.* Huc pertinent ea quæ sunt Jurisdictionis & legis Diæcesanæ, de quibus prolixè *Obm. in tract. d. jur. Episcop.* Nec excludenda ab hac Classe est Convocatio Synodorū & conciliorū, quæ non Pontifici propriam esse, sed ab Imperatoribus factam historiæ Romanæ probant, unde Imperator dicitur esse *Haupt und beschirmer der Concilien in Recept. Imp. d. Anno 1526. §. und erstlich d. Anno 1551 §.* Wir sind auch. Et declinati Concilii Tridentini inter alias hanc causam dixerunt Protestantes, quod à Pontifice & non ab Imperatore, consilio & consensu Staruum adhibito indictum fuerit adde *Dn. Reink. de R. S. & Eccles. lib. 3. cl. 1. c. 4.* Huc & Calendarii cura pertinet, ad Imperatorem nimirum, unde Gregorianum illud obtrudi sibi à Pontifice, minus passi sunt Protestantes; verba Edicti Pontificis conclusiva refert *Dn. Reink. d. cl. 1. c. 2.* Cætera quæ circa Jus Ecclesiasticū vel sacrū, de vocatione ministrorū Ecclesiæ, de eorundē sustentatione, visitatione, hæreticis tolerandis aut puniendis, de Disciplina & penis Ecclesiasticis, de Jure Patronatus Ecclesiastico & aliis in Disquisitionem venire poterant, cum peculiarem & longiorem tractationem desiderent, consulto omittimus; videantur de iisdem Scriptores Juris Ecclesiastici & Episcopalis *Dn. Reink. d. lib. 3. per tot & alii.* Nos, cum & de Regalibus Fisci sive minoribus in præsentem tractare integrum non sit, recensione majorum præmissa contenti, vela contrahimus & in laudes Numinis grata mente profusa
 si Finimus:

LAUS DEO!

Præ-

Præstantiss. Politissimog.
DN.

DANIELI BORCKMANNO DANTI-
SCANO de REGALIBUS publicè Disputanti.

HÆC BORCKMANNE via est, hæc semita, Nomen arvitum.
Quâ tueare probè, stemma decusq; tuum.
Huic insiste via, REGALIA discute, jura
pertracta, crescet REGIA in Vrbe decus!

Conuictori dilectof.

Abraham Calovius D.P.P. Consist.
Ecccl. Cir. Elect. Adessor.

Gentileza è Virtù delle Leggi Regali.

Al' Ill^{re}: Sigor: è Carissimo suo Cammerada

DANIELE BORCKMAN.

E La Legge chiara stella,
Scorta fida è Timon,
Per dar uolo a bell' passo,
S' uien doprata conraggion:
Alle Sfere: al Profondo:
A bell' Regno de Virtù:
Per le spiagge di Nettuno
Al giardin di GLORIA.

Bien però se Borckman tiene
Essa Scorta per guidar
Suoï passi: suoï sentieri.
Foi lo fa per ingrandir
Suo Nome: Sangue: Zeppo.
E per farsi immortalar
Sul bell Trono de REGALI
Nomi: si, per triumffar.
Fecit.

Gioanni Gioachimo Scouero Dot. di
Sacra Theologia.

Über Herr Daniel Borckmanns gehaltenen Künste-
Streit.

Sieh' auf und brüste dich/du grosse Königinne
du Pohlen reiches zier. Faß immer nur zu Sinne
Das ziel der Ewigket! Denn deiner Kinder pracht
Läßt dich nicht Sterblich sein! die graue Pöfel-nacht
Ist



Ist hundert-mahl zuschwach das sie nicht sollte brächen
Für dehrer Tugentschein die zu di Mutter sprechen!
Is stehet jehner durt und nimt die Krone hin
Die fester fleiß er wirbt. Hier dieser helt den Sinn
an Themis prüfe-stein/und wil noch scharffer machen
den blühenden-verstand. Was aber? Was fur sachen
Erregen Seinen fleiß? Man Sihet es gar leicht/
Wie sein gefnospter Muth weit von der Erden streicht.
Er wessel-rehdet nicht von Knecht und Schlayeren/
Und was ein jeder leicht Kan von der zungen speien.
Nein/ Nein/ sein fliger kampff geht etwas höhers an/
Worauß man seinen muht kost selber schliessen kan.
Die grosse Kayser-Kraft/die herligkeit der Fürsten
Läst seinen Jungen Geist zum andern mahle dürsten
Nach solcher wissenschaft/ die gleich so rühmlich
ist/

Als viel sie nutzē bringt. Ist dieß den nicht ein wunder
Das solche flamme sich in solchen grünen zunder
der Jahre hat gefas? Dieß ist der rechte Lauf
Der von der trägheit bringet und immer durt hinauf
die tugend augen trägt wo Pindus seine spizen
biß an das wolcken-dach läst funckel weise bliken!
und wo die Seelen sein/ die Clarus ernehret
Durch Seinen brunnen safft. So lange Sebus fährt
Was dieser fluge Berg läst auf die Nach-welt gehen/
und stirbet nimmermehr. Ist denn nicht ruhmes wehret
Wer solchen Weisheit weg durch Seine Fersen Ehret
und gehet frisch hman? Ich höre gleich von weiten/
als rieffe Pallas hehr/viel Glück zu deinem streiten
du freund der fluge schaar/fahr weiter also fort/
und wisse solcher fleiß verfehlet nieden port.

Seinem Herrn Tisch-genossen schrieb es eiligst
W Adam Heinrich Rhode/ von Kößlin auß Pommern.

00 A 64/14

ULB Halle 3
002 928 094


R

10 17



